[14.] Planè odio furum *b*, quò magis pluribus actionibus teneantur, effectum eſt, ut extra pœnam dupli aut quadrupli, rei recipiendæ nomine, fures etiam hac actione *c* teneantur, *ſi appareat eos dare oportere* d: quamvis ſit adverſus eos etiã hæc in rem actio *e*, per quam rem ſuam quis eſſe petit.

b) Obſervandum hîc eſt jus ſingulare ex odio: alibi eſt jus ſingulare ex ſavore. Nam favore ultimarum voluntatum, receptum eſt, ut legatarius rem ſibi legatam, & poſt aditionem hereditatis & legati agnitionem, ſibi acquiſitam, actione cùm in rem, tùm in perſonam, rectè perſequatur. §. 2. ſupr. de legatis.

c) ſeu condictione furtivâ. tot. tit. de condict. furt.

d) Non quidem hominem V.C. vel aliam rem ſurreptam: ſed quicquid ex causâ furtivâ, ſeu causâ ſurrepti hominis, vel alius rei, debetur. l. ſcire debemus. 29. §. 1. ff. de V. O. dicitur tamen & res ipſa furtiva condici, l. ult. in fin. ff. Vſufr. quemadm. cav. ubi vid. not. Gothofr.

e) ſeu rei vindicatio: ita tamen ut altera harum actionum alteram perimat. arg. l. bona fides. 57. ff. de R.I.

§. 15. Appellamus autem in rem quidem actiones, *vindicationes*: in perſonam verò actiones, quibus dare aut facere oportere intenditur, *condictiones* a. Condicere enim eſt denũciare *b* priſcâ linguâ. Nunc verò abuſivè dicimus, condictionem actionem in perſonam eſſe, qua actor intendit dari ſibi oportere. Nulla enim hoc tem-

a) generaliter & abſolutè. Aliquando vocabulum cõdictionis ſumitur ſpecialiùs, pro illis condictionibus, quæ circa delicta ſeu occaſione delictorum naſcuntur; veruntamen non ad pœnam, ſed rei tantùm perſecutionem referuntur, ut in l. ceſſat. 36. ff. d. Obl. & A.

b) quod olim receptum

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id364242094/491 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft